

Proximus A

Non diligis proximum tuum tamquam teipsum si non ad id bonum ad quod ipse tendis adducis.

Augustinus de moribus libro 1.

Proximus B

Qui ergo amat homines aut qui iusti sunt, aut ut iusti sint amare debet. Sic enim et semetipsum amare debet, aut quia iustus est aut ut iustus sit. Sic enim diligit proximum tamquam seipsum sine ullo periculo.

Augustinus 8. de trinitate capitulo 6.

Proximus C

Proximos diligimus sicut nosipsos, cum nulli malum facimus et omnes simili ut nosmetipsos affectione tractamus.

Cassiodorus super Psalmos capitulo 33.